

20. *Ad mercatores, Caupones, aliosq̄, cum studiosorum jacturâ semper fieri velle locupletiores.* Quare ipsa postulare videtur necessitas, ut, si conservari debeant in Rep. literarum studia, eorum cultores à communibus liberentur oneribus, quippe quod onera ad neminem spectare possint, nisi qui sentiat commodum, juxta vulgat: *Commoda quibus sentis, jungas onus emolumentis, Barbosa Loc. Com. lit. O. n. 8.*

Interim præterire non possumus agitatum a multis quæstionem, *an, qui versantur in GYMNASIIS, ejusmodi Privilegiorum quoq̄, sint participes?* Obstare enim videtur, Legem dicere saltem de studiis privilegiatis seu generalibus, quæ splendorem à supremo acceperint Principe, *vid. Lut. cap. fin. n. 23* ubi licet Academiarum ac Gymnasiorum nomina confundat, per Gymnasia nihil intelligit aliud, quàm Academias, cum eò referat, Bituricense, Avenionense, Montis pessulanum studium, quæ juribus Academiarum gaudent sine dubio. *vid. etiam Hunn. l. c. th. 7. & 8.* qui suæ sententiæ Patronos allegat *Donellum & Gilkenium, Add. Ern. Cothmann, Acad. Resp. 14. n. 96.*

Alios adhuc autores affert *Lansius de Acad. p. m. 4.* qui è prolixâ *Christoph. Pelargi* Oratione demonstrare vult licentiam Academicam ad Juvenes istos extendi non debere.

His tamen non obstantibus, rectius omnia ea privilegia, quæ studiosis competunt Academicis, iisdem etiam tribuimus, qui vivunt in Gymnasiis. Probatur enim 1. ex verbis in *Authent. nostrâ* generalibus, quæ loquuntur de personis studiorum causa eò se conferentibus, ubi exercentur literarum studia. Lex autem generaliter loquens, generaliter est intelligenda. *Richter l. c. part. 2. p. 20.* Probatur 2. quod rationes privilegii